

RÖPL.

83

1527

1617
quart. broch.
CASPARIS

VRINI VELI ORATIO HABITA IN
ALBA REGALI DIE FELICISSI

mæ Coronationis inclyti ac pos

sentis, FERDINANDI

Vngarię Bohemięq Re

gis &c. Anno M.D.

XXVII. III.

Non . Nos

uēbris.

CARolus Hesperij regnat, FERnandus Eois

Q bene diuifum est fratribus Imperium.



*Pro Mag^o dno
ab Herbersta*

AD SPECTABILEM ET MAGNIFI
cum Dominū D. Stephanū Bathor Indyt Res
gni Vngariæ Palatinum &c. Calparis
Vrfini Velij Epistola.

EXcellens virtus tua, ac præcipua erga patriam
pietas Spectabilis & Magnifice Domine Indy
te Regni Vngariæ Palatine, cuius anno superiori
in eligendo Rege Posonij significationē egregiā de
disti, laudem ac nomen meretur sempiternum, ete
nim cum extincto Rege LVDOVICO secun
dū Reginam ad te sub interregni tēpus summa rerū
administratio deuoluta esset, indicto conuentu, ex
lege ac uetusta cōsuetudine sanis adhuc & integris
Regni primoribus, qui indytam Reginā MARI
AM fuerant secuti, author fuisti, ut magnanimum
ac potentis. Principem FERDINANDVM Re
gem Pannoniorū nominarent. Quod quidem a te
cum recte, tum iuste pieq; factū nemo non magno
opere cōprobarit, quandoquidē eum rerū summae
præesse uoluisti, quo hac tēpestare Princeps in or
be terrarū nullus stemate & generis antiquitate no
biliores, copijs & facultatibus præstantior, industria
atq; ingenio excellentior secundū fratrem Cæsarem
Rom. Augustum reperitur, qui ut eligeretur iuris
quidē hoc fuit & equitatis, ut fuerit electus certe tūc
aliorumq; uoluntatis fuit. Quo circa hoc erga Re
gnum immortale beneficium tuum, erga uero Re
gem æquitatem sumam æternis literarū monumen

1617
quaruprell
tis suo in loco mandare in libris historiæ meis accu
rate studebo. Interea tēporis quoniā sera illa futura
est gloria, nequit enim exiguo tēpore, ut pdidit Ci
cero, historia absolui, ne omnio mercede fraudetur
tā præclarū facinus ac memorādū, orationem hanc
quā die Coronationis felicissimæ indyt & magna
nimi Regis FERDINANDI in Alba Regali ha
bui, quoniā cū hoc, tū alia tua, cæterorūq; primorū
regni benefacta, in ea tæti breuiter & summatim per
strinxi, in publicū emisi tuo splendidissimo nomini
dedicatā, quo orbi terrarū tanta ista uirtus cogni
ta magis esset, & perspecta, quāuis nō est a me ple
no ore laudata tū propter ingenij huius, tū tēporis
exiguitatē. Qui enī potuerim tot ac tatas res una ac
per breui oratiōe cōplecti, quæ multis libris uix pos
set explicari. Verū dedi in ea gustū utiq; aliquē lec
turis futurę olim in scribēda historia fidei ac dilige
tiæ. Accipies igitur uir eminētissime hoc quicquid
est muneris animo equo ac libenti strenū loco ad te
circa anni principia huius missū, quod non paruitate
quidem sua, sed mittētis uolūtate æstimatū, qua uel
dij contenti sæpenumero placantur, boni æquiq; fa
cies, unde nimirū ad longe maiora hisce edēda, tibi
q; dedicanda olim me, sua sponte alioqui cursuro
calcaria subdens, mirifice excitabis. Bene ac felici
ter valeat præstantia tua.

OPto mihi Rex Inclyte, ac Princeps Clemētissime FERDINANDE, hodierno die apud Maiestatem tuam, & in tanta frequentia Illustrū Principum, Amplissimorum Antistitum, hominumq; clarissimorum magnis de rebus, ac grauib; dicturo, a Deo immortalī eam tribui facultatem, qua ostendere possim me singulari industria elaborasse, ut videar id q̄ rectissime præstare uoluissē, etenim optare id ut omni ex parte absolutum, præsertim tam exiguo temporis spacio, perficiam, hominis nimirū esset eius qui omnem pudorem a se proiecisset, & egias tuas dotes, & eximias virtutes, Pannoniorum fortissimorum hominum iam inde a Regni principio usq; ad nostram memoriā res fortiter & præclare gestas, totiusq; terræ Pannoniæ dotes innumerabiles, quas & proprias nature beneficio mirandum in modum est consecuta, quod equidem egre patior, tēporis angustijs inclusis notare magis, q̄ eloqui, & numerare, q̄ suis singula laudibus decorare necesse habeo. Ac quoniā video omnium ora, oculosq; in me conuersos, atq; vltro præparatas aures ut, quoad eius fieri potest, copiosius munus exequar susceptum, stringere principium orationis uisum est, ac rem ipsam planissime exordiri. Iam primū omnium fati constat, ita diuinitus institutum, a natura cōparatum, humanis vero legibus iam inde ab orbe condito, rite sancitum esse, ut unī alicui cæteri mortales omnes pareant, atq; ei præsertim, ut ait eminētissimus poeta, cui a Deo immortalī regnandi pote-

tas cōmunis est attributa, cuiq; ab eodem salus & conseruatio populorū credita est & cōmissa, ac pro quorum ipse incolumitate, fortunisq; tuēdis assidue excubat, contra uero perniciosam esse plurium dominationem quæ florentissimas Respu. amplissima Regna, Imperia longe lateq; prolata, sæpenumero manifestum in exitium ac ruinam vocauit. Alexandro illo Macedonū Rege morte immatura sublato simul gloria Imperij orbis terrarum a se parti cum amplissima ditione extincta est. Quoniā quæ prius fuerat penes vnum regnandi potestas, mox ambitionis, perfidiæ, & auaritiæ scelere scissa est in plures, & deriuata, Quodq; erat regnum antea vnus amplum, solidum, ac perinsigne, id postea multorū fuit angustum, imbecille, & obscurum. Quinetiam Romuli gens illa adhuc ferox, & insueta alioquin imperio, vnus tantūmodo Regis Maiestate mire capta, ac perturbata fascium multitudine, anteq̄ annus circumageretur pertesa actum in orbem quinq; dierū imperium, rursus Regem & petijt, & nequidq; diu aduersante patrum concilio aduenam accitum e Sabinis Numam ea tempestate iustitia ac pietate inclytum virum Regem iussit. Regi Lydorū Cræso fratrem in regni societatem accepturo, sapiens quidam Lydus dixit, ut soles duos orbis terrarum sustinere nequiret, sic Lydorum regnum plures vno Reges accipere non posse. Quam ob rem viri Pannonij nemo non iure vestrum omnium, tum erga patriam egregiam pietatem, tum fœderum sancte cos-

A iij

Alexā, Magnus

Romani Prisci

Numa Pomp.

Cræsus Rex Lydorū.

Fœdus inter Cæ
sarem, Fri. & Max.
& Vladis. Regē

Anna Regina.

Laus Regis Fer
di. à st. minate.

lendorum reuerentiā magno opere collaudarit, qui
cum animaduerteretis regni rebus prope collapsis,
certe summū ad discrimen adductis, præsentī auxi
lio opus esse magnanimi alicuius Principis, ac uiri
bus maximis & copijs præditi, partim inclytū FER
DINANDVM iam pridē Bohemiæ Regem de
claratum, ex fœdere, ac maiorum instituto legitime
Regem creastis, partim ubi iam propius uirtutum
indoles ipsius fulgore suo uobis præluceret creatū
secuti, illi tam iustæ ac necessariæ electioni estis as
sensi. Debeatur satis diuinæ ex prouidentia Re
gno huic iam tum Rex tantus ac Princeps, cum fœ
dus illud salutare Proauus eius diuus Cæsar FRI
DERICVS cum Rege VLADISLAO feriret,
aliquot ab hinc annis a diuo MAXIMILIANO
Cæsare renouatū, ad quod etiam domestica access
sit necessitudo, pacta in matrimonium filia inclyta
Regina uestra ANNA, quæ postea huic Regi
uestro FERDINANDO felicissime nupsit, Cuius
ego Regis excellentissimas uirtutes, si uelim pro me
ritis enumerare tantum, dies me sit defectura. Qua
in re citius ingenij infirmitas mei, quæ uel tenue adula
tionis studium, deprehensa iure ab omnibus accus
sari posset. Sed dicam tamen, & complectar paucis
multa, quoniā illius laudibus prædicandis iudicium
uestrum, et singularis prudentia maiorem in modū
patefacta declaratur, Regem creastis amplissimi &
ornatissimi uiri Pannoniæ, qui si generis altitudine
(haud enim parum momēti habet, præsertim in

Principibus, stirpis antiquitas & claritudo, quos di
uinus ille Poeta a Ioue prognatos, enutritosque fre
quenter appellat) Si inquam generis altitudine cū alijs
certandum huic sit, haud profecto ulli fuerit Regū
qui antea fuerunt, quique nunc uiuunt splendore na
taliū, ac maiorum imaginibus, & titulis inferior,
quos ne altius & a capite repetā, longum enim hoc
elset, satis mihi fuerit ab auis cœpisse. Quorum alte
ro Cæsare Rom. Augusto, altero Hispaniarū Re
ge Catholico, utroque rebus maximis in uita gestis
clarissimo & admirando, iure suo gloriari potest.
Patrem habuit PHILIPPVM & ipsum Regem,
ac nisi properata mors optimo & lectissimo Princi
pi attulisset iniuriam patri in imperio successurum,
Est ei frater germanus CAROLVS Rom. Cæs.
Augustus & inuictus, qui auitis & Regnis, & Impe
rio potitus, quas res adhuc admodum iuuenis felici
ter ac mature confecit, omnibus est mortalibus co
gnitum & perspectū. Dicat mihi hic fortasse aliquis
non unde sis, verum qui sis, id demū plurimi refert,
Næ mihi nunc amplius aperitur campus, ac longe
vberrima proposita materia est Magnanimi & im
pigrissimi Principis præclare ac sapiēter facta ex
ecuturo. Nondū annos natus quindecim ex His
pania per iratissimū mare in Germaniā Aui MA
XIMILIANI Cæsaris accersitu est profectus, post
cuius decelsum Imperio ad CAROLVM fra
trem delato, illum natu maiorem ut patrem pie co
luit, & reueritus est, ut Cæsari semper obedientiss

Philippus Rex
Pater Ferd.

Carolus V Ro.
Imperator Fra
ter.

Laus ab animi
magnitudine.

*A confusio.**Ferdināus Archidux Austriae.**Ferd. pro Caesare in Germania.**Laus à pietate*

me paruit, nullius cupidus ditionis, quin omnia fratri Caesari permitteret, tantum ualuit apud hunc tum maiorum uoluntas, tum reuerentia aetatis, donec deus immortalis complacita sibi officiosissimi Principis admirabili in rebus omnibus continentia atque animi moderatione, sed praecipue singulari pietate pro sua erga genus humanum benignitate incredibili effecit, ut concordibus animis permittente etiam fratre Caesare, cui iam pridem desponsa erat, in matrimonium ducta Inelyta Regina ANNA, Archidux Austriae cunctis ad eum Principatum attingentibus prouintibus praesse cepit, cum antea fraternis adiutus opibus Vuirtembergensem Regionem omnium uberrimam suae ditionis fecisset. CAROLO Caesare, deinde in Hispanias redeunte Principum consensu omnium pro Caesare per cunctam Germaniam fuit, hodieque illum tantum magistratum obtinet. Hercules exinde labor fuit, & quod si Hydram multiceps illud monstrum detruncasset erumnosior, nefariorum quorundam hominum pestiferas adeo doctrinas & impias, quae infederant non solum in urbibus plerisque, sed permultis etiam in Regionibus mentes plurimorum improuidas, aut malignas fcede occupant, extirpare. Vnde exortum seruitutis & periculosum bellum tandem huius consilij & ope compressum est, Varij atque horribiles tumultus sedati, extinctae ciuiles discordiae, ac seditiones perniciosae. Inter haec Gallus conscripto quod maximum potuit exercitu Mediolano hostiliter imminabat

nebat, illuc citius dicto e Germania misit Caesarias auxilia, quorum uirtute freti Hispani Regem illum superbissimum caelis fugatisque eius ualentissimis copijs captiuum Caesari in Hispanias adduxerunt. Anno deinde in sequenti accepto nuntio acerbissimo de miserando Regis LVDOVICI interitu innocentissimi illius & placidissimi Principis, ac de clade Regno huic & uastitate oppidis atque agris passim illata, tametsi grauissimis negotijs tum suis, tum Caesaris implicitus esset, tamen nihil duxit sibi prius faciendum esse, quam ut maturime exercitu comparato tam hostibus truculentis ac feris obuiam iret. Quamobrem e Germania magnis itineribus Vienne nam contendit, ibique coactis copijs de hostium insperato recessu certior factus, eas ad regni fines subsistens consulto retinuit, ne exercitu introducto in misere afflictam regionem priori ac recenti adhuc vulnere aliud inferret. Quem neque tum inducere statuit, cum iam uideret nonnullos res nouas aperte moliri, ac regno per uim ac scelus inhiare, quis id poterat iure suo sibi armis asserere, tamen maluit, quoad eius id fieri potuisset, sine cede ac clade aliqua Regno potiri. Proinde nihil non tentauit quo benigne admoniti illi in fide officioque continerentur, verum haud quicquam profecit iam pridem corroborata Comitum Ioannis audacia, inueterataque scelesti ambitione, quin ille de repente arrepto diademate regium sibi nomen, ac potestatem indignissime usurparet. Quo circa tot frustra tentatis rebus, ac tanti facinorosi

B

*Captiuitas Regis Gall. operis Ferd.**Laus à celeritate.**Causa cur non illi eo Ungariae Rex intrauit.**Ioann. Comes Capuensis.*

*Causa cui exerci-
tum introduxit
Ferd.*

ris impulsu ius suum armis exequi coactus, exercitū minime uobis infestum introduxit, simul ut ab im- portuna tyrannide uestra capita liberaret, simul ab imprefione immanissimorum hostium uos feruas- nasq; uestras (quorum ei salus & conseruatio incre- dibile est quantē sit curæ) tutaretur. Postremo hoc regnum tot cladibus acceptis grauiter perculsum, quod olim erat omnium opulentissimum ad pristini decoris fastigium excitaret. Hinc nimirum unusquisq; uestrum existimare potest, præterq; qd iure optimo hoc regnum peteret, miseratione adductū, & succurrendi rebus iam prope perditis studio incitatum, non autem ullius permagni commodi priuataq; utilitatis gratia, id affectasse. Quot enim & quanta incommoda? quæ enormia uulnera ope atq; opera huius sananda, ut recuretur instaureturq; Regni corpus tam misere luxatum, ac pene articula- tim conuulsum, quæ deniq; ruinæ ab hoc eodem sunt refarciendæ. Cæterum qd iuste, pieq; bellum hoc susceptum fuerit hostiq; illatum, euentus iudex non iniquus adeo felix declarauit. Quem quo suc- celsu Regia sede eiecerit, ac nuper trans Tybiscum concisis haud a magna suorum manu illius instruc- tū, copijs castris exutū fugarit, pene ipsi uidistis. Magis dei auxilio ac uirtute, qd consilijs humanis atq; opibus ea parta uictoria est, etenim hoc bellum instinctu numinis, eiusdemq; ductu inchoatum ad- ministrari argumento fuit fatalis ignis ille, quo Arx hostilis, ad quam prælium commissum erat subito

Arx Toſai.

inflammata, haud aliter atq; de cælo tacta mirabili- ter conflagrauit. Iam uero minime fraudi esse debet, optimo ac clementissimo Regi quod aduena inter uos regnabit, plures sapissime externi qd indigene regna atq; imperia melius tenuere. Traianus Cæsar, minime Romanus homo, sed Imperator, ex iusta ac prudenti rerum administratione optimi nomen im- mortaliter est adeptus. Ac ne aliunde accersam ex- empla. Cæsar. Imp. Probus uestræ hic gentis fuit Pannonius ex Syrmio iustitia, clementia, atq; in pri- mis rei militaris usu & peritia complures superauit Cæsares Rom. qui ante eum ac post, Imperium or- bis terrarum obtinuerunt. Præterea uero quæ de Rege uestro hæcenus fuerit apud omnes populos existimatio nominis ac uirtutis sue satis opinor ostē- derunt duæ potentissimæ nationes. Primo Germa- ni, qui eum pro Cæsare ut ante dictum est, apud se esse uoluerunt. Deinde Bohemi qui ad unum om- nes anno superiori Regnum ei detulerunt. Itaq; ius- re optimo uiri Pannonij hoc præsertim tempore ex animo gaudere debetis omnes, cæteræ uero na- tiones uobis merito gratulentur, qd eum estis Regē naçti qui rerum summe ita est præfuturus, ut magis clementia paterna erga uos, qd Regia dominatione usus esse iudicetur. Annixurus est pro sua uirili ut nihil eorum quæ a iusto, pio, forti, graui, benefico, & magnanimo Rege fideles subditi expectant, vl- lus uestrum desiderare possit. Postremo uestrum omnium consilijs, eorundemq; ope & auxilio usus

*Vlpus Traianus
Rom. Cæs. opti-
mus.*

*Cæsar Imp. pro-
bus Pannonius*

*Regis Ferd. ex-
stimatio.*

*Qualē Regē sit
acturus Ferd.*

Hispani in Vn-
gariā profecti.

Rex Andreas
Vng.
S. Gerardus
Episc.

eum arces & agros iam aliquot ante annis ab hosti-
bus occupatos recuperabit, tum Regni ipsius fines
q̄ latissime promouebit. Q̄ si uires eius non pa-
res essent futuræ hostium potentia, at Cæsaris fra-
tris accedent opes & copiæ, auxiliq̄ multorū Pri-
cipum ac nationum, Deniq̄ ubi expertus fuerit uos
fideles atq̄ utiles patriæ ciues, pro uita uestra libero-
rumq̄ uestrorum, & coniugum, pro conseruatione
bonorum ac fortunarum suas ipse opes & faci-
lites effundet. Haud ullum præterea laborem etiam
cum periculo coniunctum detractabit. Quid mul-
ta? pro uestra salute ut de ipsius ore tanq̄ ex adyto
ueritatis publica in contione nuper audiistis, suā ip-
sius salutem in discrimen offerre non dubitabit. Tu
uero indy te ac Magnanime Rex FERDINAN-
DE quo libentius Regni gubernacula capessas, nō
grauatim paulisper audias cui genti sis imperaturus
iam inde ab Regni huius initio cum cæteræ natio-
nes, tum Hispani Pannonios sua relicta regione se-
cuti huc commigrarunt sedesq̄ ac domicilia in alie-
no solo, & longinquo sibi comparauerunt. Perlon-
gum esset recensere, quæ Pannonij recentiore uo-
cabulo Vngari appellati auspitijs et ductu Regum
suorum, cum domi tum foris magnifice, fortiter, &
præclare gesserunt. Sed precipue aduersus rei Chri-
stianæ infideles, adeo ut minime notum hoc sit, etiam
sacro sanctos Antistes, ut superiori anno uidi-
mus, acie decernere. Rege ANDREA Regnum
hoc tenente. S. GERARDVS ac BVLDVS,
Cæter

cæteriq̄ sacri præfides pro re diuina ac Christiani
nominis gloria, haud nescij præsentis interitus im-
purissimis hostibus obuiam ruentes non dubitater
occiderunt. Cum BELA Rege & LADISLAO
Pannonij Cunes ferocissimam gentem infinita mul-
titudine sæpius in Vngariam incurstantem multis
secundis prælijs uictos, postremo ad unum omnes
delcuerunt Sarmatias, itemq̄ terram Bohemiam, ac
bonam Germaniæ partē uictores obiere. Sub LV-
DOVICO Tartarorum illuuiem formidabilem
represserunt. Domuerunt Croaticum omne nomē,
Res deinde in Italia Regno Neapolitano in Ludo-
uici potestatem redactæ, bene feliciterq̄ ab eisdem
confectæ. Dalmatiæ Regnum armis contra Venet-
os sumptis iuerunt repetitum. Taruisio ibi graui-
ter obfesso oppida, castella, & arces complures par-
tim in deditionem acceperunt, partim vi & armis
expugnauerunt. Bona cum uenia ac pace dixerim
cæterarum nationum, nulla sub cælo gens diligen-
tior fuit cultrix religionis, nulla fidelius & constan-
tius eandem defensauit, ter Pontificibus summis ad-
uersus hostes, ac rebelles ipsorum in intimam Italiā
auxilio uenerunt, Patrum nostrorum memoria Re-
gem ALBERTVM aduersus Hulsitanos bel-
lum molientem fidelissime adiutabant. Sed quid ue-
tera commemoro, cogor exclusus temporum spa-
tij, quæ longa oratione essent ac copiose dicenda le-
uiter notata percurrere. Multas enim res memora-
biles gesserunt Pannonij: multa fecerunt secunda

Rex Bela
Rex Ladislaus

Ludouicus Rex

Vngari sapient in
Italiam.

Rex Albertus

C

Rex Matthias
Coruinus.

Strenuitas Viri
gerorum.

prælia auspitijs fortissimi uiri Ioannis Hunniadis cū
preter cetera hostes multitudine innumerabiles, al-
pectu immanes, copijs instructissimos Belgrado cu-
ius iam in muros euaserant, & tenuerant portas, to-
tis uiribus connixi eiecerunt, magnumq; ex eis nu-
merum in fuga, dissipatos illos insecuti occiderunt.
Postea uero sub imperijs felicissimis haud unq; satis
laudati Regis MATTHIAE Coruini, cum alia
per multa Turcis intulerunt claua ac clades, tum
Bolsynam hosti armis creptam sui Regni ditioni
adiecerunt. Fuerunt aliquot iam sæculis Pannonij
ceu uiua propugnacula, & spirantes muri totius Eu-
ropæ aduersus potentissimos, crudelissimosq; ho-
stes, quorum impetus horribiles fortissime susti-
nuerunt, suocq; ipsorum spiritu, ac sanguine quæ sæ-
penuero uolentes effuderunt, cæterarum genti-
um libertatem defenderunt. Vnde perspicuum est
res ad bene fortiterq; gerendas haud unq; animos
Pannonijs defuisse ac laude bellica semper cumpri-
mis floruisse. Sed non perpetuo illis contigisse du-
ces impigros, ac belli artibus egregie instructos. Vi-
des Rex indyde FERDINANDE, omnium qui
hic astant nobiles ac fortes uiri, ardentibus ex ocu-
lis quasi relucere ignes martij spiritus indices, atq;
animi uirilīs. Iamdudum illis iniecta est alacritas
cum teterrimis hostibus confligendi: & incredibili
cupiditate inflammati sunt vlciscendi cladem ac uas-
tatem pene incomparabilem anno superiori illa-
tam. Habes clementissime Rex, quibus populis sis

præfutura. Reliquum est ut intelligas q̄ beata &
copiosa Regni sola potestatis facta sunt tuæ, tametsi
si ut ille inquit historiæ conditor de Carthagine sic
de Vngaria satius erat tacere q̄ pauca dicere, quæ
haud ulli terrarum celsura est, si spectes ubertatem
agrorum, collium fructuosas decliuitates, pastio-
rum exuberantiam, fluminum multitudinem pisco-
sissimorum. Non est nunc locus ut situm eius ac re-
giones sigillatim enumerem, in qua est perpetuum
liberi patris & Cereris inter se certamen beneficio
admirabili copię & fecunditatis. Nullo non gene-
re metallorum, sed auri præcipue copia montes gra-
uidi sunt, & multi resplendent amnes. Sale abūdat
incredibilem in modum. Animalium uel ad usum ho-
minum, uel ad uestendū procreatorum indeficien-
tia armenta: & greges in Germaniam bonamq; Ita-
liæ partem hinc quotannis aguntur, adeo ut uerissi-
me dicamus Vngariam promptuarium inexhaus-
tum esse cæterarum nationum. Breuiter omnibus
rebus quas natura ex benignissimo terræ sinu pro-
fundit Italiæ una est par, multis etiam, ac præcipue
metallorum uarietate ac copia longe superior, præ-
stantia uero eorum ac pretio omnibus antecellit.
Quam ad seruandam atq; eripiendam ex faucibus
immanissimorum hostium omnes exterarum nationes
quæ ab ea in bello sæpissime defensæ, in pace nutri-
tæ fuerunt, sumptis armis tanq; ad restinguendum
commune incendium concurrere oportebat, eā an-
no superiore illarum auxilijs destitutam impuriss.

C ij

Latit terra Vn-
garie.

A Fertilitate
A Piscatu.

A metallis
A Salis copia

Ab armentis

Clades Vngarie
illata à Turcis

Exhortatio ad
bellū cōtra Tur
cas.

hostis copijs instructissimis improviso adortus fer
ro atq; igni perpopulatus est, & miserabiliter deua
stauit. Verū enim uero tot cladibus, uexationibusq;
quas aliquot iam annis pertulit, viri Pannonij, finē
hodiernus dies haud dubie attulerit, qui felicissima
coronatione Regis uestri insignis diuturnam uobis
cum pacis, tum belli tempore felicitatem auspicatur.
Viam aperit, ac præmunit ad uictoriam indubita
tam, modo ipsi uobis abesse nolitis. Multa sunt uiri
Pannonij quæ ad arma capiendā aduersus hostes
impios & insolentes uos exhortari animareq; de
bent. Primum omnium ut a delubris, a focis uestris
ac penatibus tam fœda incendia, ab agris squalorē
ac uastitatem, a ceruicibus uestris diram illā & in
tolerandam omnibus pestem procul arceatis. Audi
re nunc uideor gemitus, & querelas, quas assidue
fundunt parentes, liberi, fratres & propinqui uestri
turpem ac miseram in seruitutem iam olim abducti,
quibus nondum spes intercisā est omnis, q̄uis serē,
futuræ tamen aliquando liberationis. Deinde quo
niam est hæc de uirtute uestra omnium gentiū opi
nio: nullam esse sub sole nationem cui Rex suus ca
rior atq; Vngaris esse possit: vindicandus est inte
ritus innocentissimi Principis, & maximi animi iu
uenis in patriam pij, erga uos omneis benigni Re
gis LVDOVICI, qui non recusauit pro uestra sa
lute se manibus deuouere, & certissimam mortem
occumbere. Quem uero non commoueat casus in
clytæ ac pudicissimę scēming Reginae MARIAE:

Maria Regina

quæ in consolabili mœrore propter illius immaturū
obitum contabescit. Impium illum & ab humani
tate alienum, qui casum tam luctuosum non misera
tur. Ferreum & sensus expertem communis, qui
flentem hanc intuens ipse lachrymas tenere potest.
Qz si nec Regis occasus, nec Reginae luctus, nec pa
triæ amor, nec caritas liberorum, nec adeo ue
stræ salutis defensio uobis cordi essent, at excitaret
maxime Rex inclytus FERDINANDVS, quem
quidem Imperatorem uirtute, consilio, grauitate, cō
stantia, & animi magnitudine præstantē sequi om
nes debetis. Aspicere uideor sacrosanctos cineres
Regum uestrorum in hoc augustissimo templo cō
ditos, qui iam pridem ne uiolenta ac scelerata hosti
um manu effractis monumētis nefarie sparsi, & per
humum iactati ab impurissimis illorum pedibus cal
carentur, reformidabant: videre inq; uideor suis il
los in sepulchris cōmoueri exultantes, q̄ intelligūt
exortū esse Principem tum belli, tum pacis artibus
egregium, & hoc in Regnum aduenisse, Regiæ ne
cis certissimum ultorem, reparatorem Regni conci
si: ac direpti uindicem acerrimum, qui signa ab ho
stibus erepta uictoriæ compos resiget, nomen iux
ta ac rem non solum Vngaris restituet, sed etiā co
piose amplificabit. Qz si alicui illorum Regū huc
modo a sedibus ac locis beatorum redire liceret: si
ue e sanctis illis vnus siue MATHIAS existeret.
Sed existat MATHIAS, an dubitatis eum uobis
cum sic locuturum? Vnde hæc Pannonij Regni

ἡγορομένη
Regis Mathie

quod olim uobis florentissimum & amplissimum
reliqui tam deformis uastitas ac solitudo: unde illic
hostibus a nobis toties fuis & concilis audacia huc
irrupendi: vires ne uestrae elanguerunt, & ex-
tinctus est bellandi ardor? An cōmortui sunt me-
cum animi illi generosi, quibus ego fretus Principi-
bus ac Dynastis orbis terrarū maximo semper fui
terrori? Duces ut opinor uobis p̄clari et strenui de-
fuere. Neq; satis efficax erat ad excitandos spiritus
v̄ros lenitas VLADISLAI, & LVDOVICI
adhuc subolefcens uirtus & ingenuitas. Quin uos
igitur hunc luuenem diuino consilio huc missū re-
pente sequimini: cuius bellico resuscitata uirtute ue-
stra abolebitis ignominias superiores, hostes occi-
sione occisuri, patriam uexatam, & heu magna ex
parte oppressam Turcarum tyrannide liberabitis,
quorum liberos, confuges, ac ceteros propinquos
uicissim in seruitutem uobis deditos adducetis, prae-
da ingenti onusti adorem belli reportabitis sem-
piternam. Hæc & plura si uobiscum ageret ille,
nonne uel resides uos ad arma stimularet, & excita-
ret ad dicto parendum & imperio Regis indyti,
quē non ex Hispania huc missum, sed cœlo delap-
sum esse existimetis, ut regni opes indignissime la-
befactas restituat, augeat restitutas, auctas deniq;
armis tueatur. Quapropter deum immortalem
supplices obsecremus, ut sua pro immensa benignita-
te, vos hoc Rege iusto, pio, & magnanimo q̄ diu-
tissime frui, ipm uero uobis permultis annis felicissi-

me praeesse uelit, ac sobolem in mores eius formatā
iam feliciter editam, & posthac aliam nascituram,
magnas Regnorum spes & firmamen-
ta, perpetuo sospitet ac conseruet.

Dixi.

Pannonij fortes, tuq; o fortissime Regum,
Quorum fama polos, syderaq; alta ferit
Ornati merito, ueris & laudibus, & quas
Carpere nequicquam Momus & ipse uelit:
Vidi ego, diuino cum Velius ore disertus,
Funderet in uestrum, uerba diserta decus:
Attentasq; aures, & multa silentia, linguæ
Dum fauet assistens maxima turba suæ:
Interdum & uoces, nutusq; & signa probantum
Quæ uestra expresit uirtus in eloquio
Tumq; Aquilo tacuit, illa qui plurima nocte
Insonuit, pluuias tristem hyememq; ferens
Phœbus & auricomū radijs caput auctis honestis
Et toto effulsit clarus in orbe die s
Sic uestro diui atq; homines, decori usq; fauebant,
Aeternū & faueant, dijq; hominesq; boni.
Georgius Logus Silesius.

EXCVSVM Viennæ Austriae, per
Ioannem Singrenium.

